

carnationis est tempus perfectissimum: quia in eo Dominus temporis natus est, unde etiam tempus plenitudinis dicitur. Ergo videtur quod versus finem temporis incarnari debuerit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod incarnationis tempus congruissimum temporum dispensator elegit; omnia enim tempus habent, ut habetur Eccl. 111. Hæc autem congruitas non plene a nobis potest cognosci, quod non omnium temporum proportionem cognoscimus; sed tamen possunt plures rationes congruitatis assignari, quare hoc tempus ad incarnationem elegerit. Prima, quia homo per superbiam peccaverat: unde oportebat quod per humilitatem repararetur; ad quam exigebatur, ut defectum suum cognosceret in virtute, & in cognitione. Defectus autem cognitionis innotuit homini tempore legis naturæ, quo tempore multi (lumine naturalis rationis non obstante) in pessimos errores idolatriæ prolapsi sunt, & in nefandissima opera. Defectus autem virtutis proprie innotuit homini tempore legis scriptæ: quia tunc per legem eruditus, nondum tamen peccati jugum excutere potuit. Et ideo oportuit quod post ista duo tempora quasi præparatoria Deus homo fieret, ut in solo Deo spes salutis haberetur. Secunda ratio est, quia naturalis ordo est ut ab imperfecto ad perfectum veniatur. Perfectissimum autem in operibus Dei est ipsa incarnatio; per quam creatura Deo unitur in unitate personæ: & ideo oportuit ut non in principio humani generis, sed postmodum versus finem sæculorum completeretur, ut sic prius esset quod animale est, deinde quod spirituale est, I. Corinth. xv. Et hanc causam Augustinus assignat in Lib. lxxxiii. Quæstionum (quæst. xlvi.) dicens: *Sicut absurdum esset qui juvenilem tantum vellet ætatem esse in homine; & vacuaret enim pulchritudines quæ cæteris ætatibus suas vires atque ordines gerunt: sic absurdum est qui ipsi universo humano generi unam ætatem desiderat: nam & ipsum, tanquam unus homo, suas ætates agit; nec oportuit venire divinitus magistrum, cujus imitatione in mores optimos formaretur, nisi in tempore juventutis.* Et ideo Apostolus ad Gal. 111. dicit, homines sub lege quasi sub pedagogo parvulos custoditos, donec veniret qui per Prophetas promissus erat. Tertia ratio est, quia distantia a principio facit debilitatem in effectu: unde & propter longè distare a principio, aliqua res perpetuum esse non possunt retinere, ut maneant semper eadem secundum numerum. Unde si hoc maximum remedium incarnationis in principio sæculorum fuisset, procedente tempore, effectus ejus in homines minus carus fuisset, refrigerante charitate: & ideo a principio generis humani indita est mentibus hominum lex naturalis, per quam homines Deo subjecti essent: postmodum vero invalescente consuetudine peccatorum, lex naturalis adeo tenebrata est in pluribus, ut jam non videretur ad regimen humani generis sufficere; & ideo tunc additum est aliud remedium, scilicet verus lex, & ea quæ ad ipsam pertinent: qua etiam processu temporis in hominum cordibus debilitata, oportuit aliud perfectius remedium per incarnationem apponi usque ad tempus illud, cum multorum charitas (3) refrigeret, & tunc succederet per secundum adventum visio fidei, & status

gloriæ statui præsentis Ecclesiæ: & ideo dicit Dionysius 111. cap. cælest. Hierar. quod sicut se habet hierarchia legis ad nostram hierarchiam, ita se habet nostra ad cælestem.

Ad primum ergo dicendum, quod est triplex perfectio, scilicet naturæ, gratiæ, & gloriæ. Perfectio autem naturæ est quæ fuit in principio sæculorum; perfectio vero gloriæ erit in fine sæculorum: & quia perfectio gratiæ media est inter utramque, ideo Christus, per quem gratia facta est, circa medium sæculorum venit: unde dicitur Habac. 111. 2. *In medio annorum notum facies.*

Ad secundum dicendum, quod amor discretioni conjunctus non facit accelerare donum, antequam expediat ei cui datur. Non autem expediebat humano generi hoc donum accipere, antequam experimento disceret quantum eo indigebat, ut sic acceptum carius haberet.

Ad tertium dicendum, quod aliter est in morbo spirituali quam corporali: ad sanationem enim corporalis morbi non exigitur ut infirmus vim medicinæ, & periculum morbi cognoscat; quod tamen maxime est necessarium in morbi spiritualis sanatione, qui per humilitatem, & contritionem spiritus sanatur: & ideo quamvis medicina corporalis non differatur, medicina tamen spiritualis differri potest. Nec tamen ira dilata est ut a principio penitus deesset: quia quamdiu fuit morbus, fuit medicina morbi, ut Hugo de S. Victore (b) dicit; quamvis illa medicina non sit omnino sufficiens: sic enim & medicus corporali ægroto præparatoria quedam medicamenta præbet, antequam perfectam medicinam det: & hic etiam fuit processus Dei in sanatione humani generis.

Ad quartum dicendum, quod nullus eorum qui præordinati erant ab æterno, etiam ante Christi incarnationem periit, nec etiam aliquis non prædestinatus quandocumque incarnatio fuisset, salvatus esset. Si tamen aliquod remedium præberetur non prædestinato, quod prædestinato datur, scilicet finalis gratia; ille etiam salvaretur. Sed tamen hoc antecedens est impossibile ei quod est eum non esse prædestinatum: unde sic est vera ista: Si Christus prædicasset alicui præscito, ille poenitentiam egisset: sicut ista: Si gratia sibi daretur, poenitentiam ageret. Sed utriusque antecedens est impossibile præscientiæ condemnationis: & ideo querere, quare Christus illi non prædicavit, vel quare gratiam illi non apposuit, est idem quod querere prædestinationis causam, quæ nulla est, nisi voluntas Dei.

Ad quintum dicendum, quod perfectum simpliciter præcedit imperfectum; sed accipiendo perfectum, & imperfectum circa idem, imperfectum præcedit perfectum: quia motus est de imperfecto ad perfectum; & hoc fit aliquo perfecto agente, quod oportet prius esse: & ideo in humano genere prius fuit adhibita imperfecta medicina quam perfecta ab ipso perfecto Deo, qui est perfectionis princeps, ut dicit Dionysius (de Div. Nom. cap. v.)

QUÆSTIO II.

Deinde queritur de assumente carnem: & circa hoc queruntur quinque.

Primo. Utrum una persona possit assumere carnem; alia non assumente.

Secundo. Si sic, quare magis Filius carnem assumpsit.

Ter-

(3) Al. refrigeret, & tunc succederet. Ex Edit. P. Nicol. (b) Colligitur ex Monasticis institutionibus, serm. 1. qui de spirituali sanitate totus est. . . . ut & Lib. II. de Sacramentis fidei part. 11. cap. 1.

Tertio. Utrum Pater, vel Spiritus Sanctus poterunt, vel possint carnem assumere.

Quarto. Si sic, utrum poterunt eandem numero humanam naturam assumere.

Quinto. Utrum una persona possit duas numero humanas naturas assumere.

ARTICULUS I.

Utrum una persona sine alia possit carnem assumere.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod una persona sine alia non possit carnem assumere. Damascenus enim dicit (Lib. I. de Fide orth. cap. x. circa medium) quod in divinis omnia sunt unum præter ingenerationem, generationem, & processionem. Sed incarnatio nullum horum est. Ergo incarnatio communis est tribus.

Item. Sicut est una essentia trium personarum, ita una operatio divina. Sed assumere carnem est quedam operatio divina. Ergo es communis tribus personis.

Item. Damascenus dicit (de Fide orthod. Lib. III. cap. vi.) quod tota natura divina in una sua hypostasi incarnata est. Sed quidquid dicitur de natura, commune est tribus. Ergo incarnatio communis est tribus personis.

Item. Quæcumque sunt unum secundum substantiam simplicem, cuicumque unitur unum, & reliquum. Sed tres personæ sunt unum secundum substantiam, quæ est communis, & simplex. Ergo si carni unitur Filius, necessario & carni unitur Pater.

Item. Major est unio quæ est per gratiam unionis quam quæ est per gratiam adoptionis. Sed in unione per gratiam adoptionis non unitur menti una persona sine alia. Ergo nec una persona assumpsit carnem sine alia.

In contrarium videtur quod Dionysius 11. cap. de Divin. Nomin. ea quæ ad incarnationem pertinent, computat inter ea quæ sunt de discreta Theologia. Hæc autem sunt quæ uni personæ conveniunt sine alia. Ergo incarnatio convenit uni personæ sine alia, & non omnibus.

Item. Incarnatio includit in suo intellectu missionem, ut in littera dicitur. Sed ad hoc quod una persona mittatur, non sequitur quod omnes mittantur. Ergo una persona sine alia incarnari potest.

Præterea. Major est distinctio rei, & rationis quam distinctio rationis tantum. Sed rationes diversarum rerum in divinis non distinguuntur nisi ratione; personæ autem distinguuntur & re, & ratione. Ergo major est distinctio personarum in Deo quam rationum idealium. Sed Deus per unam rationem aliquid operatur quod non operatur per aliam: quia alia ratione facit hominem, & alia ratione facit equum, ut Augustinus (a) ait. Ergo multo amplius una persona potest incarnari sine alia.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod quamvis tres personæ sint unum in essentia, non tamen oportet quod si una conjungitur carni, quod etiam alia. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod quando aliqua in aliquo conjunguntur, & in aliquo distinguuntur; tunc solum necessarium est ut simul conjungantur, quantum in III. Sent. Tom. III.

Ex Edit. P. Nicol. (a) Colligitur ex Lib. lxxxiii. Quæst. quæst. xlvi.

do conjunctio fit secundum id in quo communicant, sive illud sit idem numero, sive non; sicut patet quod homo, & asinus communicant in animali: & ideo quidquid communicat cum asino in genere, communicat etiam cum homine; sed quia homo, & asinus differentiis specificis distinguuntur, non oportet quod quidquid convenit cum asino in differentia specifica, conveniat cum homine similiter: & ita etiam est in potentiis animæ, quia omnes radicantur in essentia una numero: unde cum anima uniatur corpori dupliciter, & secundum essentiam, ut est forma ejus, & secundum potentiam, ut est motor ipsius, vel operans per ipsum; necessarium est ut anima quæ unitur oculo & quantum ad essentiam animæ, in quantum perficitur oculus in esse specifico, & secundum rationem visivæ potentiæ, prout efficitur instrumentum videndi, conjungatur etiam linguæ quantum ad essentiam animæ, non quantum ad rationem potentiæ ejusdem: eadem enim essentia animæ quæ est in oculo, est in lingua; sed ibi secundum potentiam visivam, hic secundum potentiam gustativam: & quod plus est, aliqua potentia est quæ nulli parti corporis conjungitur quantum ad rationem potentiæ, ut intellectus, sed solum quantum ad rationem essentia. Dico ergo, quod tres personæ distinguuntur quidem in personalitate, sed conveniunt in natura. Unde quidquid uniretur Filio in natura, de necessitate uniretur Patri; non autem oportet, si aliquid uniatur Filio in persona, quod uniatur Patri. Non enim ponimus incarnationem Filii esse hoc modo, ut sit unio facta in natura, sed solum in persona: & ideo non oportet quod ponamus Patrem incarnatum, sicut non oportet quod si potentia visiva sit actus corporis, intellectus sit actus corporis, quamvis conveniant in una essentia animæ.

Ad primum ergo dicendum, quod incarnatio includit in se unum illorum trium: quia incarnatio dicit unionem in persona Filii, cujus personalis proprietates est generatio.

Ad secundum dicendum, quod assumere duo importat, scilicet actionem, & terminum unionis: dicitur enim assumere, quasi ad se sumere. Quidquid ergo actionis importatur in hoc verbo, totum est commune tribus: verum enim est dicere, quod tota Trinitas univit humanam naturam Filio in persona. Sed terminus unionis est solum persona Filii, & non Patris; & ideo Filius carnem assumpsit, & non Pater, nec Spiritus Sanctus.

Ad tertium dicendum, quod de natura non dicitur incarnatio secundum se, sed ratione personæ, secundum quod tota natura divina incarnata est in una persona Filii: & ideo non oportet quod incarnari de tribus dicatur: hoc enim est necessarium in illis quæ dicuntur de natura ratione ipsius naturæ, non de illis quæ dicuntur de natura ratione personæ: & hoc propter identitatem essentia, & personæ; sicut essentia divina est persona Filii, non tamen persona Patris est persona Filii.

Ad quartum dicendum, quod si esset unio in substantia, vel natura, sequeretur quod tres personæ essent incarnatæ, si una incarnaretur; nunc vero non est unio facta in natura, ut scilicet ex divina, & humana fiat unum; sed in persona, ut sit una ratio in humanitate, & Divinitate subsistens: & ideo ratio non procedit, ut ex prædictis patet.

Ad quintum dicendum, quod in unione quæ est per gratiam adoptionis, consideratur unio per opera-

B 2

tio-

tionem tantum, quia scilicet Deus aliquem effectum in nobis operatur: & quia operatio est communis tribus, ideo oportet quod etiam unio illa communis sit; quamvis secundum quod ille effectus appropriatur uni personae, vel alii, dicatur in mentem mitti Filius, vel Spiritus Sanctus. Sed in hac singulari unione Divinitatis ad humanitatem non tantum notatur ex parte Dei operatio, vel efficientia, sed etiam terminus, ut dictum est: & ideo non est simile.

ARTICULUS II.

Utrum magis fuerit conveniens Filium incarnari, vel Patrem, vel Spiritum Sanctum.

III. P. quest. 111. art. 8. & III. cont. Gent. cap. XLII.

1. AD secundum sic proceditur. Videtur quod non magis fuit conveniens Filium incarnari quam Patrem, vel Spiritum Sanctum. Sicut enim in mysterio Incarnationis monstrata est sapientia in decentia reconciliationis, ita etiam monstrata est potentia in hoc quod in infinitum distantia conjuncta sunt, & etiam bonitas in hoc quod non desuperit proprii plasmatis infirmitatem, sicut dicit Damascenus (Lib. III. de Fide orth. cap. 1.) sed sicut sapientia attribuitur Filio, ita bonitas Spiritui Sancto, & potentia Patri. Ergo non decebat magis Filium incarnari quam Patrem, vel Spiritum Sanctum.

2. Item. Victoria potentiae attribuitur. Sed per incarnationem secuta est de hoste victoria. Ergo incarnationem magis decebat Patrem, cui appropriatur potentia.

3. Item. Recreatio respondet creationi. Sed creatio appropriatur Patri: unde cum dicitur Gen. 1. *In principio creavit Deus caelum, & terram.* Deus creans exponitur Pater. Ergo & incarnatio, per quam recreatio facta est, Patri potissime conveniet.

4. Item. Incarnatio ordinata est ad hoc ut nos adoptionem filiorum reciperemus, ad Galat. 1v. Sed adoptare, proprium Patris est. Ergo Patrem decebat incarnari.

5. Item. Videtur quod magis congruum fuerit Spiritum Sanctum incarnari. Eorum enim quae magis vicina sunt, decentior est conjunctio. Sed Spiritus Sanctus est persona magis nobis vicina, ut dicit Augustinus. (a) Ergo Spiritum Sanctum magis decebat incarnari quam Filium.

6. Praeterea. Incarnatio processit ex maxima charitate Dei quam ad nos habuit. Sed charitas est proprie Spiritus Sanctus; vel etiam appropriate, si essentialiter sumatur. Ergo Spiritum Sanctum potissime decebat incarnari.

Sed contra. In mente nostra sunt tria tres personas representantia; scilicet mens, quae representat Patrem; notitia, quae est verbum mentis, representans Filium; & amor, qui representat Spiritum Sanctum. Sed inter haec tria verbum mentis maxime est corporale, secundum quod per vocem exterius sonat. Ergo & incarnatio convenientissime Verbum aeternum decuit, quod est ipse Filius Dei.

Item. Secundum Philosophum in II. Metaph. (text. com. 1v.) id quod est primum in unoquoque genere, est causa eorum quae sunt post. Sed filiaio primo in Filio Dei invenitur, sicut & paternitas in

(1) *Vulgata*: Ubi autem est humilitas, ibi & sapientia.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Non occurrit expresse; sed colligitur ex eo quod Spiritum Sanctum posse dici Spiritum nostrum ait, ut Magister Sent. refert Lib. I. dist. xix. ex Lib. V. de Trin. cap. xiv.

Deo Patre, ex quo omnis paternitas in caelo, & in terra nominatur, Ephes. 111. Ergo convenientissime Filius Dei incarnatus est, ut per ipsum adoptionem filiorum Dei reciperemus.

Praeterea. Decentissima est conjunctio sapientiae, & humilitatis: unde Prov. xi. 2. (1) *Ubi humilitas, ibi sapientia.* Sed sapientia appropriatur Filio. Ergo ipsum maxime decuit humilitas incarnationis.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod decentia incarnationis Filii potest attendi & ex propriis, & ex appropriatis ejus. In propriis autem ipsius possunt considerari quatuor, scilicet quod Filius est, quod verbum est, quod imago, quod media in Trinitate persona. Secundum autem quod imago, convenientiam habet cum eo qui reparandus erat, scilicet cum homine, qui ad imaginem Dei factus est, Gen. 1. unde decuit ut imago imaginem assumeret, increata creatam. Secundum autem quod Filius est, convenit ad modum reparationis, quae expleta est per incarnationis, & passionis mysteria: secundum enim quod ex alio est, quod quidem sibi, & Spiritui Sancto commune est, notatur auctoritas Patris respectu ipsius: unde convenit sibi ad Patrem & deprecari, & satisfactio, & alia hujusmodi, quae in Patre auctoritatem demonstrant. Sed secundum quod in Filio intelligitur determinatus modus originis, convenit sibi nasci, ut qui in Divinitate est Dei Filius, in humanitate sit Virginis Filius, ut non sint plures filii in Trinitate. Convenit etiam sibi, in quantum Filius naturalis est, ut per eum cujus est naturalis hereditas, alii in filios adoptentur, & coheredes fiant. Sed in quantum verbum est, congruentiam habet ad officium praedicationis, & doctrinae; quia verbum manifestat dicentem, & ipse manifestavit Patrem. Joan. xvii. 6. *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus.* In quantum vero est media in Trinitate persona, congruit ad ultimum effectum, qui est reconciliatio hominis ad Deum: decet enim ut qui est medius, etiam sit mediator. Inveniuntur etiam quatuor Filio appropriata: scilicet sapientia, & virtus ab Apostolo I. Corinth. 1. 24. *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*: aequalitas ab Augustino; species & pulchritudo ab Hilario. In quantum autem sapientia est, congruit ad restorationem: quia decet ut quae in sapientia facta sunt, per sapientiam restaurentur: & etiam servituti a qua homo liberandus erat, qui in eam seductus quodammodo devenerat; & ideo decebat ut per sapientiam a seductore liberaretur. Ipse etiam homo peccavit per appetitum scientiae: unde per sapientiam liberandus erat. In quantum autem est virtus, & brachium Patris, congruit ad victoriam de hoste capiendam. Luc. 1. 51. *Fecit potentiam in brachio suo.* In quantum vero est aequalitas, congruit etiam morbo qui sanandus erat: uterque enim, scilicet homo, & diabolus, peccaverat, appetendo aequalitatem; ille potentiae, iste scientiae. In quantum vero species & pulchritudo est, congruit reparationi, ut per ipsum deturpato imaginis per peccatum inducta amoveatur. Patri vero non convenit incarnatio, praecipue propter proprietatem innascibilitatis: non enim decet ut qui in Deitate est Pater, in humanitate sit Filius: sic enim Filius

lius Dei Patris esset nepos Virginis, si ipsa Virgo mater esset Dei Patris. Similiter etiam nec Spiritui Sancto convenit, ne Filii nomen in plures personas transferatur.

Ad primum ergo dicendum, quod in incarnatione ostenduntur sapientia, potentia, & bonitas; & ideo efficientia incarnationis toti Trinitati attribuitur: sed tamen opus quod Deo incarnato debebatur, per Filium expleri decuit, rationibus dictis in corpore hujus articuli: & ideo tota Trinitas carnem solo Filio univit.

Ad secundum dicendum, quod potentis non est ut per potentiam minus potentem vincat: hoc enim videtur violentum, & non laudabile: sed per justitiam, & sapientiam: & ideo per Filium debuit Pater hostem vincere. Vel dicendum, quod quamvis potentia attribuitur Patri, eo quod ipse est principium totius Deitatis, tamen Filius etiam dicitur virtus Patris, per quam in creatura operatur: unde & brachium Patris dicitur, ut exponit Gregorius illud Job. xl. *Si habes brachium sicut Deus* (Lib. XXXII. Mor. cap. v. vel vi.) & ideo decenter per Filium Deus Pater diabolum vicit.

Ad tertium dicendum, quod tria opera tribus personis appropriantur: creatio, quasi prima, Patri, qui est principium, non de principio: glorificatio, quae est ultimus finis, Spiritui Sancto ratione bonitatis: recreatio, quae media est, Filio, qui est media in Trinitate persona.

Ad quartum dicendum, quod quamvis Patris sit adoptare; tamen decenter nos per Filium adoptavit, cujus est hereditas; ut sic per verum heredem ipsa adoptio acceptaretur, & firma ostenderetur: & ut filii adoptivi haberent verum Filium ducem, quem imitarentur illi quos praescivit conformes fieri imaginis Filii sui, ut ipse sit primogenitus in multis fratribus: Rom. viii.

Ad quintum dicendum, quod Spiritus Sanctus dicitur persona maxime vicina nobis propter charitatem, per quam nobis omnia dona donantur; sed Filius est magis nobis vicinus quantum ad congruentiam incarnationis, rationibus dictis.

Ad sextum dicendum, quod charitas Dei est causa incarnationis: & ideo causalitas incarnationis, quamvis sit communis tribus personis, appropriatur tamen Spiritui Sancto, ut infra dicitur dist. 1v. non tamen ex hoc sequitur quod Spiritus Sanctus debuerit incarnari.

ARTICULUS III.

Utrum Pater potuit carnem assumere, & etiam Spiritus Sanctus.

III. P. quest. 111. art. 5.

1. AD tertium sic proceditur. Videtur quod Pater carnem assumere non potuerit. Quia, ut dicit Anselmus (Lib. de incarnat. Verbi cap. 1v.) minimum inconveniens est Deo impossibile. Sed si Pater carnem assumeret, sequeretur inconveniens, ut scilicet essent in Trinitate plures Filii, quod (1) in confusionem quamdam vergeret personarum. Ergo Pater carnem assumere non potuit.

2. Item. Opposita non possunt jungi in eodem, etiam per miraculum. Sed in Patre est quaedam pro-

(1) *Al.* in conclusionem.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Lib. II. de incarnatione, sive cur Deus homo, cap. xvii.

prietas, quae dicitur innascibilitas, secundum quam dicitur non esse ex alio, cui nascibilitas opponitur. Ergo non potuit Pater de Virgine nasci; quod diceretur, si carnem assumeret.

3. Item. Ut in littera dicitur, Filii missio est ipsa incarnatio. Sed Patri non convenit mitti, ut in primo Libro habitum est. Ergo nec incarnari potest.

4. Item. Ab eo qui est infinita misericordiae, semper optima expectanda sunt quae contingere possunt. Sed cum totus mundus per incarnationem unius personae melioratus sit, si etiam Pater incarnaretur, multo amplius meliorabitur. Ergo si possibile est Patrem incarnari, hoc expectandum est, sicut & antiqui Patres incarnationem Filii expectaverunt; quod est omnino absurdum.

Praeterea. Non est major Dei potentia quam sua voluntas, cum utrumque sit infinitum. Sed Pater nunquam voluit incarnari. Ergo nec incarnari potest.

Sed contra. Sicut dicit Anselmus, (a) omnis necessitas, & impossibilitas Deo est subjecta. Sed ei nihil est impossibile, cujus voluntate omnis impossibilitas subditur. Ergo Patrem incarnari non est impossibile.

Item. Eorum quae aequae distant, aequae possibilis est conjunctio. Sed humana natura aequaliter distat a tribus personis: distat enim a qualibet in infinitum. Ergo si potuit eam Filius assumere, potest & Pater.

Praeterea. Quidquid dignitatis convenit Filio, convenit & Patri. Sed posse assumere carnem est dignitatis in Filio. Ergo & Patri attribuendum est.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod cum in agentibus ex libertate voluntatis executio potentiae sequatur imperium voluntatis, & ordinem rationis, considerandum est, quando potentiae divinae aliquid ascribitur, utrum attribuat potestati secundum se consideratae: tunc enim dicitur posse illud de potentia absoluta: vel attribuat sibi in ordine ad sapientiam, & praescientiam, & voluntatem ejus: tunc enim dicitur posse illud de potentia ordinaria. Ipsi ergo potentiae absolutae, cum infinita sit, necesse est attribui omne id quod in se est aliquid, & quod in defectum potentiae non vergit. Dico autem in se aliquid esse: quia conjunctio affirmationis, & negationis nihil est, nec aliquem intellectum generat quod dicitur homo & non homo simul acceptum, quasi in vi unius dictionis: & ideo potentia Dei ad hoc se non extendit, ut affirmatio, & negatio sint simul: & eadem ratio est de omnibus quae contradictionem includunt. Dico autem in defectum potentiae vergere quae passionem potentiae important: ex defectu enim potentiae activae ad resistendum contingit quod aliquid vel corrumpatur, vel dividatur, vel aliquid hujusmodi: unde & mollities impotentia naturalis dicitur propter facilem divisibilitatem: & ideo non dicimus Deum in natura Divinitatis posse pati, vel mori, vel aliquid hujusmodi; sicut non dicimus eum posse esse impotentem. Huic autem potentiae absolute consideratae quando attribuitur aliquid quod vult facere, & sapientia sua habet ut faciat, tunc dicitur posse illud secundum potentiam ordinariam; quando autem potentia se extendit quantum